cia, ut illis reditus procurentur, quæ cum ſint patrimonium pauperum, ut Sancti loquuntur, fiunt occaſio damnationis poſſidentium, cum raro in eos, quos debent, uſus impendantur. Ad id peculiari vocatione opus eſt, ac dignus eſſe debes non ſolum per animi diſpoſitionem, quæ ſcientia eſt, verum etiam per vitæ probitatem, & zelum gloriæ Dei. Ad id parentes ne animum quidem advertunt, cum de filiorum ſuorum vocatione contra Dei voluntatem diſponunt. *Auctor Anonymus.*

Adoleſcentes præſertim Deum conſulere debent de ſtatu eligendo.

Adoleſcentes, qui eam attigiſtis ætatem, qua tempus eſt conſulendi Patrem luminum, ut juſtam efficiatis electionem ſtatus, cui vos deſtinat Deus, & quem vobis ab æterno præſcripſit, audite aſceticæ vitæ magiſtros, qui unanimi conſenſu volunt a vobis diſſipari hanc cupiditatum catervam, quas ferventis adoleſcentiæ æſtus poſt ſe trahit. Etenim quæcumque ſint naturæ ſtudia, quantumcunque infelix ſit animi propenſio, ſemper quilibet ſe ipſum determinare poteſt: lumina ſemper fallacia ſunt; & cor noſtrum efficit, ut in eam partem vergamus, quo ipſe inclinat. A vobis quæro, ne quid feſtinetis; ſed antea ſerio, ſeduloque excutiatis ingenium veſtrum, & quidquid in vobis eſt cuilibet ſtatui vel congruum, vel oppoſitum; nullum enim indicium minus errori obnoxium in nobis eſt, Deum nobis nequaquam hoc, vel illud deſtinaſſe munus, quam in nobis eas agnoſcere diſpoſitiones, quibus eodem efficimur indigni. Vos præſertim moneo, ne cui humanæ rationi aurem adhibeatis, & ſemper unice cum æternitatis conſilio operemini; ita ut voſmet morti proximos cogitetis, & ex vobis quæratis, quam ingreſſos fuiſſe velletis viam, & animo de ſtatu [illegible] decernatis. Aliter quid eveniet? Proculdubio ingenium, arbitrium, libidinem, doloremque veſtrum, & ſortem etiam ſequemini. *Ex manuſcripto ſermone P. Stephani Chamillardi de oratione.*

Tenetur quilibet ad ſtatus ſui perfectionem cōtendere.

Verum non eſt ad id, ut ſalvemur, opus eſſe neceſſario, ut perfecti ſimus; illud vero certum eſt, ſecundum filii Dei verbum, unicuique ad ſtatus ſui perfectionem eſſe contendendum, atque eas ingrediendas vias, per quas eam aſſequi valeamus. Non omnes perfectiſſimum ſtatum amplecti jubemur, ſed inevitabilis nos urget neceſſitas ſumma cura, ac ſtudio noſmet perficiendi eo in ſtatu, in quo nos providentia conſtituit. Nemo immunis eſt a præcepto amandi Deum ex toto corde, ac totis viribus, perhorreſcendi peccatum, atque nihil prætermittendi, ut ad ſanctitatem perveniat. *P. Croiſet tomo 2. receſſuum.*

Quicumque in electione ſtatus negligunt ordinem Dei, ut propriis cupiditatibus obſequantur, næ his quidem metuendum eſt, ne cæcitati ſuæ a Domino derelinquantur, & ne ipſis aliquid ſuperſit vel luminis, vel prudentiæ, ut in hoc mundo, ejuſque variis muneribus ſecernant ea, quæ mala ſunt, vel pericu, & minus adhuc virium ſuppetat ad ſuperandas tentationes, quæ ſeparari non poſſunt. Sin autem poſtquam conſcientiam ſuam conſuluerint, atque illuminatæ pietatis viros audiverint, intelligunt tandem ſe non eſſe eo in loco, in quo illos eſſe vult Deus; inde quam primum, tanquam ex domo, ſingulis cujus lateribus adhæret ignis, egredi debent. *De S. Martha tomo 2. tractatuum aſceticorum.*

Hominum plerique fortuito ſtatum, & conditionē amplectūtur.

Cum per ætatem hominibus integrum eſt eam eligere profeſſionem, quæ occupet illos, & in qua ſanctificari poſſint ejuſdem muneribus, uti æquum eſt, perfungentes, nequaquam interrogant ſe ipſos, cuinam rei pares ſint, quid ferre recuſent, quid valeant humeri; ſed forte, ac temere, cæcoque impetu ſeſe injiciunt in eas profeſſiones, quæ, cum ipſis minus ſint congruæ, ibidem ſunt veluti in præcipiti, ac intereunt, quin fere cogitent mala, in quibus verſantur. Eaque cauſa eſt perturbati ordinis, quem in ſtatibus omnibus intuemur. Etenim cur mundus repletus eſt tot eccleſiaſticis, modo prorſus ſæculari viventibus? cur tot videntur judices rudes, & avari? Cur tot furta, rapinæ, fraudes, jurgia, odia, ultiones, ærumnæ ubique terrarum? Quia ſine vocatione, ſine cognitione, ſine deſiderio illa obeundi, quæ ab homine æquo, veroque chriſtiano ſtatus illi requirunt, eoſdem ingredimur. *De S. Martha tomo 2. tractatuum aſceticorum, Tractatu de modica ſui ipſius conſideratione.*

Status mutandi deſideria ſuſpicione carere nō debent.

Certum eſt, motus interiores, quos concipimus ex illo egrediendi ſtatu, in quo credendi locus eſt nos a divina providentia fuiſſe conſtitutos, ſuſpicione vacare non poſſe, cum dubitandi locus ſit, hanc nobis mentem injici vel a dæmone, vel ab amore naturali, quo ſtatus mutationem appetimus, qui efficit, ut vix noſtra conditione contenti ſimus, & noſtræ alienam anteferamus, rati eam vel jucundiorem eſſe, vel utiliorem. Quemadmodum autem non adeo facile eſt horum motuum principia cognoſcere, non aliud nobis conſulendum eſt oraculum, quam quod conſuluimus, antequam munus illud aggrederemur, a quo recedere meditamur. *Liber, cui titulus: Dialogi Abbatis Joannis, & Euſebii presbyteris.*

Imprudentis eſſet temere monaſticam vitam ingredi, quamvis cauſa illa ſemper laudabilis ſit; quamvis ſtatus ille adeo tranquillus ſit, perfectus, atque tutus. Parentum intereſt de filiorum deliberatione adeo generoſa diffidere, in qua ſæpe perfunctoria inclinatio locum habet conſiderationis, atque conſilii. Monitis ſalutaribus, & rationabili mora ſupplere debent defectui experientiæ in ætate parum matura, & quæ plerumque faſtidio, ac pœnitentiæ eſt obnoxia. Verum enim vero ſi hujuſmodi præcautiones neceſſariæ ſunt ad eum ſtatum amplectendum, quem mundani colunt, quem ſanctum eſſe fatentur, & cui ſæpe beatiſſimus quiſque invidet e ſæculo; nunquid minus erunt neceſſariæ, cum ea amplectenda erit conditio, quæ neminem unquam beatum fecit, & ubi omnes uno ore confitentur longe difficilius eſſe ſanctitatem acquirere? Num ſatis erit a parentibus diligi, ingenii acumine pollere, corporis forma præſtare, opimam expectare hæreditatem, maximum eſſe natu, vel unigenitum, ut aliquis mundo deſtinatus cenſeatur? Etenim, quæ alia, ut plurimum, cauſa eſt adeo periculoſæ electionis, cum interim quidquid habetur velut calamitoſum, & rejectaneum, eccleſiæ, & aſceteriis natum exiſtimatur? *P. Croiſet tom. 2. ſpiritualium conſiderationum.*

Quid ut plurimum de filiorum in familiis vocatione decidat.

Adoleſcenti ſatis eſt in familia minorem eſſe natu, ut dubitandi locus non ſit, quominus ad ſacrum altarium miniſterium vocatus ſit; ſi rerum facies mutaretur, vocatio quoque inverteretur. Puellæ opes deſunt, ajunt, Dei ſpiritum parentibus hanc mentem injicere, ut illam religionis clauſtra ingredi oporteat. Sin autem locupletem habeat dotem, ſi inſignem adepta eſt hæreditatem, illius in religionem vocatio tentatio eſſe exiſtimatur. Nunquid hanc urnam movet Deus? Nunquid Dei ſpiritus ita conditiones partitur? Nullo pacto, ſed cæca prædilectio, ambitio, avaritia, jus nativitatis ſæpe, inconſulto Deo, de filiorum ſorte decernit. Primogenitum ſaluti ſuæ in religioſo ſtatu conſulere velle, illuſio eſt, dementia; perfugium hoc natu minoribus dumtaxat patet; nativitatis locus eorum ſortem conſtituit; vocati ſint necne, nihil intereſt; parentes eorum hanc vocationem accepere; hoc ſatis eſt, nullum præterea conſulitur oraculum. Ingenium parum docile, inconſtans, rude, qualitates eſſent parum utiles mundo, at ſatis aptæ ſunt victimæ, quæ non Domino quidem, neque enim voluntas, & gloria illius ibi quæritur, ſe crudeli familiæ utilitati immolatur, cui & ſalus, & religio ſacrificantur. *Idem.*

Quantumvis ſapientes ſint præcautiones ab hominibus ſuſceptæ, cum hunc mundi ſtatum elegerunt, quemadmodum vocatio nequaquam liberat a periculis, quæ ibi inveniantur, timor cum electione finem eundem habere non debet. Nihil ſcire prodeſſet mare ſcopulis plenum eſſe, niſi illos indeſinenter evitare ſtuderemus. Mundani proceloſo navigant mari, ſufficitne ab illis non ignorari pericula, quin jugiter invigilent ſcopulos evitaturi? Cogitatio, quam habent a Deo in hoc ſtatu ſe poſitos fuiſſe, nequaquam illos diſpenſat a neceſſitate indeſinenter vigilandi, ut evitent naufragium. Non ſatis eſt ſcire aerem, quem reciprocamus, malum eſſe, amuleta ſumenda ſunt, ne illius tabem contrahamus. Nunquid ſapientia eſt ſcire, te in hoſtico iter facere, & inermem incedere, quin tibi caveas? *Idem.*

Mirum eſt quod homines mundi ſtatum eligunt, quin ſciant utrū a Deo vocentur.

Mirum! furenti animo mundi ſtatus arripitur, quin ſciamus, utrum a Deo vocemur, atque in admirabili ſecuritate vivitur, quaſi nihil ſaluti noſtræ metuendum eſſet. Fatemur arduum eſſe ibi ſanctos fieri, nihilque agimus, ut efficiamur. Perdifficile eſt, dicimus, in mundo ſalvari; at nonne magis adhuc mirum eſſet, ſi quis ibi ſalutem ſuam operaretur, vitam adeo parum chriſtianam ducens? Statui acceptus referendus non eſt eorum, qui pereunt, numerus. Conditio mundanorum nunquam fuit obex ſaluti eorum, qui ad illam vocati fuerunt .... Dominus conſulendus eſt, antequam illuc ingrediaris. Ubi vero ingreſſus fueris, illic vivendum eſt, tanquam ſub cœlo inclementi, & velut in hoſtico. Virtus ipſa, quæ altius radices jeciſſe videtur, non

ſemper

ſemper ab illius contagione tuta eſt. Laquei, licet aperti ſint, non ideo tamen cautius vitantur. *Idem.*

Negotioſorū hominū vita non eſt pacatior, quam in aliis ſtatibus, ſi voceris.

Mercaturam facis, opes congerere ſtudes. Speras eamdem tibi, ac tot aliis adfore felicitatem. Ambitioſus es, ſatis ingenii tibi eſſe putas. Eventus parum videtur incertus illi, qui eſt audax. Hoc eſt procelloſum mare, ſcopulis plenum, ac naufragiorum frequentia infame; attamen navigas, & ubi contrarii afflaverint venti, eos te remis ſuperaturum putas, & quilibet ſperat ſe tuto in portum eſſe perventurum. Neceſſe non eſt hoc in loco laborum, quibus id genus homines torquentur, texere nomenclaturam. Nemo negotiis ſe immiſcet, qui ubique imaginem ſuam non relinquat. Oris habitus cogitabundus, ac moroſus, ſolitarii hominis facies, impeditiores agendi, loquendique rationes, quæ procul ſemovent, quidquid de fænore, uſura, contractu, mutuo non loquitur; hæc omnia locum præbent quærendi, utrum in mundo ſit vitæ genus magis auſterum, atque moleſtum, & utrum manifeſta opus ſit vocatione, ut labores, & curæ; individuæ illius comites, ſuſtineantur, & ne præ cupiditate opum coacervandarum lædatur conſcientia? Cupiditas quæſtus nonne objicit periculo in nullam reditus ſpem intereundi in vocatione adeo pernicioſa, quæ alioquin reipublicæ eſt adeo neceſſaria? Igitur peculiari opus eſt gratia, cujus ope ſaluti conſulatur; eaque non alia profecto eſt, quam gratia vocationis. *Idem.*

Eccleſiaſticus ſtatus ſæpe per ambitionem, avaritiam, vel aliam ſimilē humanam rationem eligitur.

Eccleſiaſticum ſtatum ingrederis, ſed in hac electione nullam fere partem obtinet Deus. Familiæ utilitas ſæpe puerorum fatum conſtituit, & locupletis beneficii ſpe defectui vocationis ſuppletur. Illum, cui modicum quidem pietatis eſt, plurimum autem ambitionis, tædet vitæ humilis, & obſcuræ, cupiditas omnium ſtatuum eſt, objecta ſunt varia, ſed paſſio eadem, & in eccleſiaſtico ſtatu æque, ac in mundo quiſque ſuam promovere ſtudet fortunam, hoc eſt recentem quærit dignitatem, reditusſque locupletiores. Credis tibi ſemper adeſſe merita, ex quo adeſt deſiderium. Quid autem intentatum relinquitur, ut eo perveniatur? ...... Res ceſſit ex voto? aſſecutus es beneficium, quod optabas; aliam jam ludis perſonam. Sed es ne contentus? Nulla dignitas eſt, quæ jus ad alteram præbere non videatur. Quilibet gradus nos ſublimiori admovet, ac deſiderium ad illum aſcendendi creſcit. Donec gratia novitatis viget, placet non eſſe amplius, quod antea; at ubi gratia iſta conſenuit, dolemus, quod minime ſumus, quod eſſe poſſumus; ambitio proſpero rerum eventu non ſaturatur. *Idem.*

Cum non conſulimus Deum in electione ſtatus, plurimis nos circumſeptos videmus periculis.

Modicam ſane ſalutis ſuæ rationem habere, Deumque ipſum haud magno in diſcrimine ponere dicendi ſunt mortales in ſtatus ſui electione, quandoquidem illum conſulere negligunt. Mirumne eſſe debet, ſi ibi tot conficiuntur curis, ſi illic tot ipſis negotium faceſſunt, ſi adeo miſere labuntur? Chimerici Dii, quos conſulitis, & in quibus omnem confidentiam veſtram collocatis, per irriſionem Propheta dicebat, in urgentibus neceſſitatibus veſtris vos adjuvent. In eo, quod cepiſtis conſilio, mundum dumtaxat, cupiditates veſtras, veſtræque familiæ utilitatem conſuluiſtis; de quo igitur inter pœnitentias veſtras conquerimini? Ambitioni dumtaxat nuncupaſtis vota, in electione veſtra carnis, ſanguiniſque vocem audiſtis; igitur in tot amaritudinibus, in tot ærumnis, in negotiorum veſtrorum adverſitatibus ad eos confugite, qui vobis idoli, & oraculi loco fuerunt, & ipſi vos malis veſtris eripiant. Proh, Domine, quot prohiberentur ægritudines! quam pauci eſſent miſeri! quam infrequentia eſſent in hoc procelloſo mari naufragia, ubi ſine terrore tot errant mundani, ſi nemo ſe inconſulto illud navigandum ſuſciperet, ſi tu Sydus eſſes, a quo toto itineris decurſu nunquam oculos declinarent! Quid ſperandum non eſt, cum Dominus, cui ſervimus, & dux, quem ſequimur, fluctibus imperat, eoſque in officio coercere didicit? *Idem tomo 2. chriſtianarum conſiderationum.*

Parentes non ſunt arbitri vocationis filiorum ſuorum.

Perſuaſum eſſe debet non licere parentibus, inconſulto Deo, filiis ſuis munus, aut vitæ ſtatum eligere, quin ſciant utrum illi a Deo vocentur, & quin hac in electione cogitent aliud, quam humanas rationes, & terrenas utilitates. Non licere illis exempli gratia filium eccleſiæ, alterum vero mundo deſtinare; alium conjugio, alium religioni ob ſolam ætatem, ob conſuetudinem, & familiæ utilitatem; quia alter quidem primogenitus eſt, alter minor natu; quia alter quidem habet talenta, quibus in mundo nitere poteſt, alter vero illis caret; quia filia hæc oris habitu, & ſpecie præſtat, altera vero non item; quia illi familiæ decorem vel ſuſtinebunt, vel augebunt: quia dignitas hæc ampliſſima eſt, vel quia conditio hæc illis aperiet opes congerendi, ſuumque ingenium, ſcientiam, eloquentiam oſtentandi viam. Hoc eſſet auferre Deo ſupremam, & juſtam poteſtatem, quam habet in creaturas, eamque ſibi vendicare, ita de filiis ſuis juxta propriam voluntatem, & privatas rationes diſponendo. Itaque ſatis frequenter videmus, Deum hujuſmodi filios tradere cupiditati parentum eorumdem, ac permittere, ut illis e voto cedant ambitionis; & avaritiæ conſilia, quæ in altera vita futura ſunt parentum ſimul, totiuſque familiæ ſupplicia. Infelicitatis vero illorum cumulus eſt, quod illi eventus hos tamquam magnum bonum, & cumulum cœleſtium benedictionum reſpiciunt. *Specimen Ethicorum in evangelium in octava Epiphaniæ.*

Nil vulgatius eſt, quam videre parentes, qui de filiis ſuis diſponunt juxta leges quaſdam, quas libido invexit. Ut natu maximus fiat locupletior, opus eſt, exempli gratia pleroſque aliorum in eccleſiam, vel religionem intrudi. Primogenito huic comparanda eſt dignitas, quantumvis fortaſſe illi prorſus ſit impar; hoc eſt, ut mundo mos geratur, oportet de filiorum vocatione diſponere, quin aliud quidpiam præter humanas rationes conſulatur. Hoc vulgo accidit, & conſuetudo hæc in omnibus ſtatibus pietatem evertit, replendo civitates malis magiſtratibus, eccleſiam malis miniſtris, religionem malis religioſis. Quippe habita vitæ ſtatus electione, quia nullam unquam Deus in ea partem habuerit, renuit plerumque Deus temerariis hiſce conatibus benedictiones ſuas, ideoque illi non aliud ſunt, quam malorum multiplicatio. Vitæ genus, ac profeſſio perperam eligitur, quam ubi ingreſſus fueris, eadem mente, ac ſpiritu, quo ingreſſus eſt, in eadem verſaris. Mala malis agglomerantur, ac ſæpe accidit, ut malarum electionum auctores omnium primi funeſtos illarum exitus experiantur; ut filii non ſine aliorum detrimento locupletati, poſtquam Deo ingrati fuerunt, ſint etiam adverſus eos, a quibus ita amati fuere, & ut Deus non ſinat, hos parentes, qui illa infringunt jura, quæ ipſe obtinet in filios eorum, iiſdem juribus perfrui, quæ ad illos legitime pertinent. *Ibidem.*

Quid agendum ubi ingreſſus fueris conditionem periculoſam vel parum aptā, ut ibi ſalutē tuam opereris.

Fatendum eſt in mundo quaſdam adeſſe conditiones, & munera, quæ licet per ſe culpa vacent, & immo civium ſocietati ſint fortaſſe neceſſaria, ſunt nihilominus ſaluti periculoſa, & apta ad eos, qui ſe ſe illis immiſcuerint, a cœleſti regno amovendos. Publicam perſonam geris, Principi adſtas, familiæ curam exerces, vix graviſſimis occupationibus, quibus obrueris, ſucciſiva aliquot eripere tibi licet momenta, quibus ei vaces negotio, quod unice, & maxime neceſſarium eſt. Hoc tamen fieri poſſet majori etiam cum attentione, conſtantia, ac fide; quod inde conjicere eſt, quod in impeditiſſimis etiam conditionibus, quibus humana mens maxime diſſipatur in aula, & exercitus, inter homines negotiis, & commerciis abditos ſemper inventi ſunt nonnulli chriſtani fideles, qui vero zelo, ac pietate erant ſuccenſi. Sed ubi primum varios hoſce ſtatus ingrederis, te ipſum ſtatim regas oportet, ne vitam temere ducas, ſed bonum probatumque virum conſulas, qui liceat, & quid debeas Deo, & conſcientiæ tuæ in ea conditione, cui te adhæſiſſe doles, & quam non niſi propter Dei voluntatem, ac inevitabilem negotiorum tuorum neceſſitatem ſequeris: alioquin, iterum dico, ſtatus hujuſmodi omnino periculis pleni ſunt. *P. Surin tomo 3. dialogorum aſceticorum.*

Deus ſæpe vitæ caſibus utitur, ut homines in tutiorem ſtatum adducat.

Hujus vitæ caſus, qui ab hominibus adverſitates vocantur, per quos Deus ex mundo aufert homines quoſdam, ut illos in religionem, vel in eum ſtatum adducat, ubi illi ſervire, ac ſalutem ſuam valeant operari; hi caſus inquam re ipſa fortuiti non ſunt, quippe non ſunt adverſitates, ſed divinæ miſericordiæ conſilia, quæ ſæpe inopinatis hujuſmodi eventibus utitur, ut eos, quos peculiari protectione tuetur, ex mundo, & aula tamquam ex naufragio educat. *Abbas Trappenſis in Chriſtianis effatis tomo 1.*

De vocatione ad ſtatum eccleſiaſticum.

Cuinam tanta eſſe poſſet temeritas ad ordines, & eccleſiæ dignitates obrependi, quin ad id peculiariter a Deo vocaretur? Non ſatis eſt ſe doctum eſſe, ſapientem, ac moribus irreprehenſibilem; te Deus vocet, opus eſt, tuta, probataque vocatione. Satis liquet, non ſufficere bonis præditum eſſe qualitatibus, ut ad primas reipublicæ dignitates, & ad civitatis regimen promovearis: præcipue neceſſarium

eſt a

eſt a principe vocari, & ſi quis ita eſſet audax, ut propria auctoritate immiſcere ſe vellet, quis ambigit, utrum multo ſuffuſus probro dimitteretur? Quid autem? a rege vocandus es, ut terreni miniſterii provinciam capias; miniſterium vero ſpirituale, ſanctiſſimumque Dei injuſſu aggredi audebis? Audebis tibi vindicare triplicem Jeſu Chriſti poteſtatem; conficiendi videlicet adorabile corpus illius in ara, peccata remittendi, vel retinendi, & annuntiandi verbum Dei quin ullum habeas ſignum vocationis Domini? Quomodo non formidatur id, quod S. Cyrillus Alexandrinus ait, illis, qui ita erunt temerarii, ut ſeſe velint ultro ſacro immiſcere Sacerdotio, expectandam eſſe damnationem, & ultionem ſimilem illi, qua percuſſi fuerunt Core, Dathan, & Abiron, qui viventes adhuc dehiſcente tellure abſorpti fuere, quod contra Moyſem, & Aaronem inſurrexerant, qui a Deo fuerant electi, alter quidem, ut populi dux alter vero, ut Tabernaculi eſſet miniſter. Væ vobis, S. Bernardus de converſ. ad cler. c. 27. exclamat, qui non accipitis eccleſiæ claves, ſed qui per vim illas rapitis: *Væ vobis, qui clavem tollitis, & non accipitis*. Specimen ſermonum pro ſecunda Quadrageſimæ Dominica.

Non illi ſolum, S. Chryſoſtomus inquit, qui auctoritate, ac potentia ſua eccleſiæ dignitate rapiunt, ſeveriſſimis divinæ juſtitiæ ſuppliciis ſeſe ſubjiciunt; verum etiam qui aliena gratia, aut ope ad illas obrepunt, ubi officio ſuo deſint, in dignitate ſua nihil invenire poterunt, quod in Dei judicio prætexant. Si enim qui per Dei vocationem, ac imperium, & poſtquam pro viribus hunc honorem detrectaverint, pro aliis rationem redditurі ſunt, exiſtimabimus nobis ad excuſationem ſufficere poſſe, ſi dixerimus nullam nobis eſſe culpam, eo quod ad hanc dignitatem deſideriis, artibus, & ambitione haudquaquam nobis viam aperuerimus? Niſi Deus ipſe nos vocaverit, fruſtra ab hominibus vocamur, & ſi vocem Dei ſecuti fuerimus, hominum voce excuſabimur. *Ibidem*.

Culpa parentum de filiorum vocatione decernentium.

Quodnam crimen eſt, quod pater juxta ſolas mundanæ ſapientiæ rationes ſibi jus vindicet diſponendi de filiis ſuis; illos huic, vel illi vitæ generi admovendi, hæc vel illa beneficia ipſis procurandi, efficiendique, ut hanc, vel illam ingrediantur viam, quin cogitet, utrum illæ ſint domini viæ? Cuinam ſe ſe objicit malo, & quænam ideo & ipſi, & filiis ejus imminent mala, quandoquidem hoc adeo arctam habet cum ſalute ipſius, filiorumque ejus rationem? Ex quo enim homo ſe ipſum independenter a Deo regere incipit, ſe coram Deo reum ſtatuit malorum omnium quæ inde proficiſcuntur; cumque humana prudentia, ea etiam, quæ calidiſſima eſt, ſexcentis ſit erroribus obnoxia, quis dicere poteſt, quot ille debita debitis accumulet, quorum ſupremo judici rationem erit aliquando redditurus? . . . Cum pater de filiis ſuis diſponit ſecundum damnabilis hujus mundanæ politicæ, quam veluti normam ſequitur, ideas, quid accidit? Noſtis, ut unum attollat, reliquos ſacrificat. Eo quod hunc ſumma prædilectione complectitur, aliis ſe præbet iniquum. Eccleſiæ deſtinat eo, qui in mundo rite munus ſuum poterant obire, & mundo implicat eos, qui utiliter eccleſiæ poterant inſervire; & quia nihilominus verum eſt, temporale eorum factum nexum ferme certiſſimum habere cum æterna prædeſtinatione illorum, cogitans ſe omnibus conſulere, omnes damnat, ac ſe ipſum cum illis. Si tanquam chriſtianus pater ad Deum confugiſſet, hæc mala evitaſſet omnia; ſed ſibi uni credere voluit, ſibi credens periit, filioſque ſuos perdidit, atque coram Deo ſe reum conſtituit de ſuo, filiorumque interitu rationem redditurum. *P. Bourdaloue de Providentia*.

Lapis ædificatio rite inſervire non poteſt, niſi manus architecti illum conſtituerit in loco, cui idoneus eſt. Quomodo fidei conſonum videri poteſt, memet apte alicui applicare muneri, quin expectem me a Dei manu determinari? Divino huic architecto jus eſt de lapidibus ſuis; neque noſtram proferre debemus libertatem, ne id efficiamus. Verum eſt nos liberos eſſe; verum ſimul etiam ſubditi ſumus, & niſi qualitas hæc illi præponderet, nonne jure ſuo Deus nobis exprobrare poterit: *Si Pater ego ſum ubi eſt honor meus*? Malach. 1. Ne dubites me patrem, regemque tuum eſſe; te oblitum eſſe oporteret, quid es, ut in dubium revocare poſſes, quid ego ſum. Verum ſi vel parentum minis deterritus, vel amicorum illecebris captus, vel creaturæ alicujus lenocinis ſollicitatus de ſtatu tuo diſponere præſumis, dic mihi, quid mihi reliquum erit auctoritatis meæ? Id agere nonne eſt meum mihi imperium auferre? Fruſtra dicis te in hac affinitatem fortunam, in hoc munere quæſtum, in hoc ſtatu requiem invenire; ſi in hac electione tuam tantum cupiditatem, ambitionem, avaritiam conſoluiſti, nunquam illius officiis rite perfungeris. *Auctor actionum chriſtianarum tom. 2. ſermone hujus argumenti*.

Vult Deus varios eſſe ſtatus in mundo, ſicuti in Regnum aula varii ſunt Præfecti.

Tibimet principis aulam finge. Quænam miniſtrorum varietas? Alii conſiliarii ſunt alii duces exercituum; illis menſæ cura demandatur, his regiæ domus. Hi regi a ſanctioribus conſiliis adſunt, illi provinciarum præfecti, alii juridicundo, cauſiſque cognoſcendis propoſiti; omnia vero a principe hæc diſtribuuntur officia. Verum quid princeps hic diceret, ſi quilibet ad arbitrium locum ſibi occupare vellet, ac injuſſu illius alii alios extrudere? Miniſtri nequam, diceret ille, eo perfungimini munere, quod vobis propoſui, neque illuc voſmet attollere conemini, ubi vos conſtituendi mihi voluntas non fuit. Vos in conſilio, non autem in exercitu volo, & apud me, non alibi. Obedientiam potius veſtram, quam operam poſco, vobiſque ſatis ſit mea capeſſere imperia, quin voluntatem meam audeatis prævertere. Quod ſi principes in regni ſuis hanc exigunt ſubmiſſionem, ſi privati etiam illam domi ſuæ depoſcunt, nunquid eam negliget Deus, qui conſiliis ſuis cœleſtia, ac terrena omnia moderatur? *Idem*.

Qui de ſua vocatione diſponere vult, contra Deum inſurgit.

Quicumque de vocatione ſua diſponere vult, cujuſcumque ordinis, ac dignitatis ſit, contra Deum inſurgit, atque uſurpator eſt, qui Domini ſui jura ſibi vindicare contendit; temerarius eſt, qui ſe illi immiſcet rei, in qua prorſus rudis, & hoſpes eſt, & qui toties errabit, quoties aliquid facere aggredietur; cum enim Dei voluntatem cognoſcere neglexerit, ſeſe indignum præbuit, qui luminum Dei ductum regeretur. *Auctor Anonymus*.

Cur putas, S. Bernardus interrogat, varios vitæ hujus ſtatus vocationis nomine nuncupari? Cur vulgo dicitur, hic ad eccleſiam, ille ad forenſes cauſas, hic ad mercaturæ impedimenta, ille ad amorum ſtrepitus vocatus eſt? Ut videlicet intelligamus, nobis ſtatum eligendum non eſſe, niſi privatim Deum conſuluerimus. Divina voluntas, ut ita dicam, primum eſſe debet motus noſtri organum; ſolaque eſſe debet veluti omnium actionum noſtrarum anima. Vult Deus noſtris ſe ſe immiſcere negotiis, electioni noſtræ præeſſe; ne miremur. Hoc amoris ejuſdem indicium eſt; atque bonitatis ejuſdem argumentum. Quantum illi debemus ob curam, quam gerit noſtri, & eorum, quæ pertinent ad nos? Si gloriæ ſuæ zelotes eſt, non minus eſt noſtræ utilitatis; neque enim præcipit, ut illum in ſtatus noſtris electioni conſulamus, quin ſimul velit eas nobis elargiri gratias, quæ neceſſariæ ſunt, ut munere noſtro perfungamur. *Abbas Trappenſis*.

Nonne mirum eſt in minoribus negotiis a nobis agi ea omni diligentia, quæ adhiberi poteſt maxima, in eo vero, ubi de ipſa agitur æternitate, nos arbitrium, libidinemque noſtram ſequi? Hoc eſt Dei decreta, quantum creatura poteſt, ſubvertere, ejuſque contemnere conſilia, quapropter ille ſecundum Prophetæ verbum ſuccenſet: *Exarcerbaverunt eloquia Dei, & conſilium Altiſſimi irritaverunt*. Hinc illa crimina, quæ hoc ſæculo nimis frequentia ſunt, & quæ chriſtianæ religioni probrum, & dedecus afferunt. Hinc illi judices, qui rerum ordinem ſubvertunt, qui otio indulgent, languentiſque otii reliquias ſuo muneri impendunt, quaſi judices non eſſent, niſi ut per intervalla pro tribunali ſederent. Hinc paſtores illi, qui per alios faciunt, quod per ſe ipſos facere deberent, &c. Omnia corrupta ſunt, nullum munus adimpletur, cum non conſulitur Deus. *Idem*.

Ægritudo illius, qui Deo inconſueto ſtatum aliquem ingreſſus eſt.

Cum incerti ſumus, utrum nos velit Deus in hoc ſtatu, quieſcere ne, animique tranquillitate frui poſſumus? Induſtrii ſumus noſmet ipſos torquendo, futurum etiam ſollicite perſcrutamur, ac ſæpe ideas concipimus ipſa veritate magis funeſtas. Quot ſibimet ſuccedentes, ac ſeſe evertentes cogitationes! Hodie id conſilii capimus, cras illud relinquimus, ſemperque pugnantes numquam nobiſmet ipſis conſtamus. Magno nobis ſtat pretio de conditione noſtra decreviſſe . . . . Si Deum conſuluiſſemus, ſi opem illius exquiſiviſſemus, ejuſque lumina fuiſſemus ſecuti, ſalutaria nobis, utiliaque dediſſet conſilia, ac incertis cogitationibus noſtris certitudinem attuliſſet. Sed ultro ſtatum arripuimus, noſmet ipſos tantum in conſilium adhibuimus, noſtris dumtaxat cupiditatibus fidem adiecimus, quis in juſtis terroribus noſtris nos confirmabit? quis adverſus ea, quæ evenire poſſunt, tuebitur? quis pollicebitur, cum eo non ſimus in loco, & ſtatu, in

tu, in quo nos Deus eſſe volebat, conatus noſtros e ſententia ceſſuros? *Idem*.

Omnes mundi ſtatus, nullo excepto, habent ſalutis pericula, ac nimis facile eſt illic interitus occaſionem reperire. Salutis pericula in conjugiis; ſimul enim concilianda ſunt, quæ ſimul eſſe poſſe nequaquam videntur; invigilandum eſt terræ bonis, atque cor ab omni eorum affectione ſemovendum; creaturæ ſumma dilectio impendenda eſt, & Creatori integerrimus amor deferendus. Salutis pericula in negotiis; ex opibus opes quærendæ ſunt, ſed non fenerandum; alienis ſumptibus comparandus eſt victus, at nemini damnum inferendum. Salutis pericula in judiciis ferendis; miſerorum cauſæ negligendæ non ſunt, & contra proprias etiam protegendæ; evitandæ ſunt adfectatæ moræ, & prorſus infinitæ ambages, quæ protrahunt lites per leges ipſas, quæ rogatæ fuerunt, ut quam citius illis finis imponeretur. Pericula ſalutis in divitiis; opes diſtribuendæ ſunt, nec laborandum, ut iiſdem perfruamur; illis utendum eſt, ſed affectus in illis non eſt collocandus. Quodnam terroris argumentum animæ inter tot pericula, & quænam requiruntur, ut naufragium vitemus? *Idem*.

Quid quæratur in Chriſtiano, ut vocationis ſuæ munere perfungatur.

Matronæ, cujus conditionis ratio poſtulat, ut viſitationes ultro citroque reddat, ac recipiat, nequaquam dicimus eſſe abrumpendas, vitamque prorſus ſolitariam ſeorſim eſſe ducendam; ſed dicimus, illam apponere debere oſtium circumſtantiæ labiis, auribuſque ſuis, ut ab omnibus venenatis obtrectationum telis tueatur, quæ ſæpe criminoſa ſunt tum in audientibus, cum in proferentibus illa. Ex viro hoc, qui magiſtratum obtinet, non quærimus, ut in ſolitudinem ſecedat, ſed ut ſibimet invigilet, ne locum præbeat cenſuræ; homines quippe facta ejus explorant, ut ſi quando labatur, intelligant; quærimus, ut ſit & lux mundi, ut hunc ſermonibus erudiat, & ſal terræ, ut exemplis ſuis illum a corruptione præſervet. Non petimus a viro hoc, qui Martis caſtra ſequitur, ut a munere ſuo recedat, ſed ne militis conditio efficiat, ut ſe Chriſtianum eſſe obliviſcatur, ut Jeſu Chriſti militiam cum principis militia conjungat, & armis, quæ gerit, non utatur, ut rapinam, impotentiam, impuritatem, & blaſphemiam tueatur. Ex mercatore illo non quærimus, ut tabernam, ac rationarium ſuum deſerat, ſed ut a negotiatione ſua avaritiam, fraudem, uſuramque proſcribat, utque perhorreſcat duplex pondus, doloſamque ſtateram, quam Deus abominatur, & odit. Ex artifice hoc non petimus, ut artem relinquat; ſed ut in ſudore vultus ſui pane veſcatur, atque laborem hunc pro pœnitentia ſuſtineat. Neminem denique vitæ conditioni, vel loco, aut muneri, in quo ipſum providentia conſtituit, valedicere jubemus, ſed muneribus illi inhærentibus defungi, ac ab illis recedere, qui inter flagitia verſantur, & ut verbo me expediam, ſe ipſum ſanctificare. *Abbas du Jarry, ſermone de circumciſione*.

SUPPLEMENTUM.

Ad vitæ ſtatum eligendum magna prudentia opus eſt.

NUllum in vita majoris momenti negotium eſt, quam ſtatus electio. Tunc deliberatione opus eſt matura, ac diuturna; tunc aſſumendæ ſunt omnes neceſſariæ præcautiones ad ſalutem eo in ſtatu, munere, profeſſione, quam ſemel fuimus amplexi operandam. Tunc ſapienti opus eſt conſilio, & funeſtioribus ſeſe malis objiceret, qui ita eſſe imprudens, ut ſemet ipſum audire vellet, & a ſuo judicio pendere. Vis in aliquem ſtatum ingredi, & hunc vis, quia tibi videtur tibi convenire. Cuinam tuum conſilium aperuiſti? Tu te conſuluiſti, & cogitas alieno non egere conſilio, ut in re tanti momenti decernas. Periculum eſt, ut non vocatus ſtatum hunc ingrediaris, ideoque non ſine magno cum periculo ibi verſaberis. Conſiſte igitur, ac intellige factum tuum nimis eſſe præceps. Delibera igitur, ſapientiſſimos in conſilium habe rectores, quibus non deſint lumina, & rectitudo cordis, quæ ſunt neceſſaria, ut optimum tibi præbeant conſilium. Si periculoſum eſt ſtatum eligere ſine conſilio prudentum; hoc præcipuo jure de ſtatu Eccleſiaſtico dicendum eſt, de quo vere dicitur, ſeſe omnigenis objicere periculis, qui illum non vocatus, ac ex mera voluntate ſua ingreditur. Vera diſpoſitio cognoſcentis hujus ſtatus ſanctitatem eſt timere, ne nimis procedat; neve nimis fugiat, & omnino ſe indignum exiſtimet. *Lambert*.

Monet S. Jacobus Apoſtolus, ut prima reformidemus ſubſellia, ne feſtinemus fieri velle aliorum magiſtros, ſcientes nos ſeverius judicium eſſe ſubituros. Quid igitur dici poteſt de illis, qui magnos honores ambiunt? Nonne deploranda eſt cæcitas eorum, quin eorum ſorti invideamus? Non inde tamen fert animus eos omnes damnare, qui honoribus præfulgent, & auctoritate pollent. Plorandi quidem ſunt, non autem damnandi. Neceſſe eſt cum primi, tum etiam noviſſimi repleantur recubitus. Sunt, quos Deus agit, & vocat, & qui licet omne munerum ſuorum pondus intelligant, rei peragerentur inobedientiæ, quod Dei voci non pareant. Quantumvis magna ſint pericula, fortior tamen Dei gratia eſt. Sed hoc vere eſt carere ſenſu; tanta ſollicitudine primas ambire dignitates. E contra ſi digni eſtis magnis officiis, & vos prætereant, beatos voſmet exiſtimate, & Deo gratias agite. Quod ſi ſublati eſtis, numquam ceſſate, quo minus timeatis, & dignitatem veſtram exiſtimate non aliquid utile, ac fulgidum, ſed veluti graviſſimum pondus, quod efficere debet, ut a Deo inceſſanter flagitetis opes, ne ponderi ſuccumbatis. *Idem*.

Quilibet vacare debet unice ad obeunda munera ſtatus illius in quo eſt.

Omnes in hoc mundo ſumus tamquam in navi, quæ per mare currit. Qui nauticam turbam componunt, non omnes idem habent officium, laborant alii, alii ſe deferri ſinunt: alii imperant, alii faciunt imperata. Alii operibus artis intenti ſunt, alii aſſident gubernaculo, & pixidi inhærent. Sunt nautæ, ſunt navarchi, mercatores, milites, & militum duces. Sed quodcumque ſit ſingulorum officium, hoc debent perfungi, quin alienis ſe immiſceant. Quæ enim eſſet perturbatio, ſi miles vellet officio nautæ fungi, cum fortaſſe numquam remis manum addiderit, vel ſi nauta a gubernaculo recederet militis vices obiturus, cum numquam militiæ nomen dederit? Quæ confuſio, ſi illi, qui artis ædificatoriæ peritus eſt, putaret ſe navis regundæ ſcientiam callere, & ſi temere manus adderet ei muneri, quod ad ipſum non pertinet? Nonne palam ſeſe naufragium faciendi periculo objiceret, & eos perderet, qui eamdem viam ſequerentur? Aliquid ſimile fit in mundo, cujus conditiones, & munera diviſa ſunt. Imperium, ſubjectio, actio, quies, arma, libri, magiſtratus, negotia, divitiæ, paupertas, elevatio, dejectio, hæc ea ſunt, quæ diverſos vitæ ſtatus componunt. Ita Dei providentia diſpoſuit, ut in mundo pulchra, eaque neceſſaria regnet œconomia. Ita etiam voluit, ut in ordine ſalutis procederent omnia, ille, cujus eſt aſſignare conditionem hominibus, in qua illos vult, & creare, & in hanc lucem producere. Hujus eſt illos deducere, & indigitare diverſas vias ab illis tenendas in mari proceloſo ſæculi, cui illos exponit. Vocationem ſuam ab alia, quam Dei manu accipere, eſt ſeipſum perdere, non autem operari vocationem ſuam, & quemadmodum Apoſtolus loquitur, non facere negotium ſuum proprium, & perſonale, hoc quoque eſt ſeipſum perdere. Deeſt ne nobis vocatio, an nos deſumus vocationi? Neque enim hæc duo ſunt confundenda. Nihil ultra quæritur, ut reprobemur. In altero quidem volumus eſſe duces noſtri, noſtrique ſtatus arbitri; quæ prima diſpoſitio eſt longiſſime alia ab ea JESU CHRISTI, qui ſe a Spiritu Sancto adduci paſſus eſt: *Ductus eſt JESUS a Spiritu*. Matth. 4. in altero vero in ipſa volumus dormitare inertia, quaſi nullum nobis officium eſſet obeundum, nulla propulſanda tentatio, nullum perfugium inquirendum; altera diſpoſitio alieniſſima ab ea JESU CHRISTI, quem Spiritus Sanctus adduxit in deſertum tentandum a Dæmone: *Ductus eſt a Spiritu in deſertum, ut tentaretur a diabolo*. *Abbas de Boileau in Quadrag.*

Væ non amplectentibus ſtatum, ad quem evocantur.

Natus eo cum ingenio, atque cum iis affectionibus, quæ maxime decebant ſtatum, ad quem te deſtinaverat Deus: eamdem ne facilitatem, eademque commoda invenies in conditione, ad quam te non vocabat Providentia? Quo jure expectas a Dei bonitate has gratias eo in loco, quem tu tibi elegiſti? Hoc membrum luxatum eſt, mirum ne eſſe debet, ſi acres ciet dolores extra locum ſuum? Opus eſt extra locum, pro quo factum erat, num mirum eſſe poteſt, ſi inutile videatur? Tentatori nil tantum curæ eſt, quam ut in ſtatus noſtri electione decipiamur, ſcienti certam ferme reprobationem eſſe, cum in vocatione aberratur. Ubicumque ſunt mala, ubicumque inſidiæ, ſcopuli, laquei. Tutone incedunt, qui ſine lumine, & Dei præſidio gradiuntur, quod nobis præſtare non tenetur Deus? In eo ſtatu, pro quo natus eras, non periiſſes: abis in regionem longinquam, mirum ne eſt, ſi Prodigi filii exitus tibi quoque contingat? Accidit illi tamen, ut in Patris ſui domum

mum reverteretur: multi ne ſunt, qui redeant eo, unde turpiter receſſerunt? Sed multi ne ſunt, qui in ſuo errore perſiſtentes tot, tamque validis, tamque frequentibus reſiſtant tentationibus? Cœlum, aer, ſolum, ubi natus es, nihil ad tuam valetudinem confert. Ibi bene valebis? Ibi perfecta corporis ſalute frueris? *P. Croiſet in Aſceticis exercitationibus.*

Mortales illi, qui ex eo ſtatu egrediuntur, a quo illos vocabat Deus: illi, qui infideles gratiæ vocationis ſuæ, ut ita dicam ex natali ſolo, cœloque egrediuntur, numquid beatum inveniet finem? Nulla eſt ſolida ratio, quæ excuſet, ut ita dicam, hanc ſpeciem ſpiritualis apoſtaſiæ coram Deo. Ratio valetudinis, ac defectus religionis, ſpiritus, ac talentorum: rationes ineptæ, ac inutiles. Numquid religioſum ſtatum amplexus es, ut ibi niteres, ut omnium in te oculos, & admirationem converteres, ut primos recubitus obtineres? Infirma valetudo excidium minitatur; & ſi periculum adeſt, ut quam primum mors irruat, quænam melior ratio vivendi eo in ſtatu, ubi in hora mortis mors ipſa deſideratur? O Deus! Quam inexhauſtum dolorum, atque pœnitentiarum principium in hac ipſa mortis hora, cum aliquis fuit infidelis gratiæ ſuæ vocationis! Quæ deſperatio tunc tandem errorem cognoſcere, cum ex eo emergere non licet? O Domine a me hoc tantum mali averte. Ne ſinas, me ne tranſverſum quidem, ut ajunt, unguem recedere a via, quam oſtendiſti mihi, & fac, ut ſancte vivam, & moriar in illo ſtatu, ad quem me vocaſti. *Idem.*

Cum ſtatum in omnem vitam ſumus amplexi, id unum curandum eſt, ut ejuſdem officiis perfungamur.

Ingreſſus ne fuiſti ſtatum aliquem pro toto vitæ tuæ curriculo, ne deliberes ultra de electione; quæcumque cogitatio inutilis tunc eſt, & noxia, ſed id unice cura, ut cum fervore, ac diligentia ſtatus tui munera adimpleas, pro certo habens Deum ita velle, quamvis electió a te habita vitioſa fuerit; tunc enim aliter credere eſt tentatio. Ubi ſemel lapſus es, tempus non eſt terendum diſputando de electione facienda; tota cura in eo vertenda eſt, ut accepto vulneri afferas medicinam, & caveas tibi, ne eadem in via procedens in plurimos lapſus ruas. Sequere hoc conſilium. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Tota perfectio tua illuc tandem redigenda eſt, ut ea facias, quæ propria ſunt ſtatus illius, ubi te conſtituit Deus, magiſtratus, quem obtines, Communitatis, in qua verſaris; & ut hæc meliori, quo fieri poſſunt, modo perficias. Sæpe ut ſperas, melius viveres in ſublimiori ſtatu, quam tuo; non deeſſe tibi occaſio mirabilia faciendi, & te metipſum facilius ſanctificares; ſed ſuperbia hos ſenſus inſpirat. Animum igitur intende ad ea facienda, quæ Deus petit a te, ne amittas opes, quæ tibi præ manibus ſunt, anhelans ad eas, quæ tibimet comparare non vales. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere.* Proverb. 23. Quid autem a te petit Deus? ut vitæ muneribus perfungaris. Donec in hoc minime omnes ſuas curas impenderis, licet opera faceres alioquin præſtantiſſima, ac nitentiſſima, numquam ſanctior eris, & hæc omnia tibi in illuſionem graviſſimam te conjicerent. Sanctitas non eſt in eo ſita, ut magna, & ſublimia facias, ſed in eo, quod ſtatus tui perfecte munera adimpleas. Et ſane quid adeo magnum, & inſigne fecit mulier illa fortis in Scripturis celebrata. Num tanquam Debora hoſtium exercitus profligavit? Numquid ut olim Judith hoſtium Imperatori in Caſtris ipſius caput amputavit? Nequaquam, ſed nebat, penſaque ancillis fuſo evolvenda tendebat: *Digiti ejus apprehenderunt fuſum*: jugiter domus ſuæ curam gerebat, & œconomiam procurabat: *Lucerna ejus non extinguetur in nocte.* Prov. 31. Hæc illam ſanctam fecere; hæc facta adeo communia, & humilia in ſpeciem, ſed propria ſtatus ipſius, & quæ ſumma cum perfectione operabatur, effecerunt, ut idem Spiritus ſanctus illam tamquam raram, fortemque mulierem collaudaret. *Mulierem fortem qui inveniet? P. Segneri in Meditat.*

Ex vocationis gratia pendet, quodammodo tota noſtræ ſalutis œconomia.

Pretium gratiæ vocationis parum cognoſcitur, quandoquidem quam plurimi huic gratiæ ſunt infideles. Ab hac tamen quodammodo pendet tota ſalutis noſtræ œconomia. Status omnes, omneſque conditiones ad ſalutem ſunt propriæ, & Deus neminem ad ſtatum ullum evocat, quin illi deſtinet omnia ſubſidia, quibus eget in hoc ſtatu, ut ad beatum æternæ ſuæ felicitatis finem perveniat. Nihil in hoc mundo evenit fortuito, ſed omnia infinitæ ſapientiæ, ac divinæ providentiæ nutu reguntur. Igitur gratia vocationis eſt hæc deſtinatio a Deo facta de noſtrum ſingulis pro aliquo ſtatu, & de hoc nexu gratiarum, & ſubſidiorum, quæ præparat nobis. Hoc eodem conſilio nobis ſua talenta diſtribuit, ſemper ad noſtrum finem accommodata. Cognoſcit ille naturam noſtram, ingenium, indolem, affectiones, pericula ejus ſtatus, cui nos deſtinat. Liquet ſatis hominem in mundo indigere cum naturalibus ſubſidiis, tum ſupernaturalibus, quæ ſunt diverſa ab illis, quibus indiget, qui Religionis ſtatum amplexus eſt. Inter etiam diverſos Regularium ordines, quam diverſa auxilia, talenta, gratiæ diverſæ. Variæ in mundo conditiones non egent minori ſubſidiorum multiplicitate. Divina providentia omnia diſpoſuit. Quanti ergo momenti eſt hanc vocationis ſuæ gratiam ſervare, & quænam fidelitate hæc ipſa vocationis gratia ſervanda eſt? Cui ſi deſumus, ſi ſtatum amplectimur, cui nos non deſtinaverat Deus, ſi ſtatus hujus tædio afficimus, ſi tentatione victi ex hoc emergimus ſtatu, ut ad arbitrium vivamus, quænam malorum ſeries? ſecutura eſt perturbatio ordinis, quem providentia conſtituit. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Aliquemne ſtatum amplexus es, poſtquam ſerio illum inſpexiſti, poſtquam Dominum conſuluiſti, poſtquam ea perſpexiſti, quibus erat proſpiciendum? Ne cogites ultra, niſi ut in eo ſtatu temet ſanctifices, ejuſque munera chriſtiane exequaris. Tentationes exiſtima omnes ambiguitates, quas tibi injicit dæmon. Tibi perſuade hunc illum ſtatum eſſe, in quo te Deus vult. Rejice omnes ſollicitudines, ac dubitationes, quæcumque tibi occurrere poſſunt, & reſpice illas tamquam inſidias, quibus ſalutis tuæ inimicus uti conſuevit, ut te avertat a via, in qua vult Deus te ambulare, & ab eo ſtatu, in quo te ille conſtituit, atque in prohibeat, ne tua munera exequaris, omnem tibi auferens pacem & tranquillitatem; præſertim vero ſi hic te alligat ſtatus, illius officia quotidie ſcrutare, & adimple. Poſtquam noſmet alicui vitæ ſtatui obligavimus, ad examen vocandum non eſt, utrum a Deo vocemur. Hujuſmodi conſiderationes electionem præcedere debent. *Idem.*

Non vocatum vitæ ſtatum amplecti eſt tentare Deum.

Deus tentare eſt, aliquem ſtatum aggredi, quin certus ſis, tibi ineſſe diſpoſitiones neceſſarias ad ea munera obeunda, quæ huic inhærent ſtatui. Qui obit reipublicæ magiſtratus, Deum tentat, niſi ſibi tantum virium, roboriſque ſentiat adeſſe, ut injuſtitiæ reſiſtere valeat, juxta ea, quæ dicit ſcriptura Eccli. 7. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas perrumpere iniquitates.* Qui ducunt uxorem, tentat Deum, niſi præſto ſint, ut hujus ſtatus officiis ſatisfaciant, & niſi tantum habeant virium ad ea omnia perferenda, quæ neceſſe ſunt, & ad ſuſtinendas tentationes, quæ naſcuntur vel ex hoc ſtatu generatim, vel ex particulari electione illius, cum qua copulantur. Qui religioſæ diſciplinæ nomen dant, niſi neceſſarias habent qualitates, ut perſeverent in ſancta hac vocatione, ejuſque pœnas, & labores ſuſtineant; ipſi quoque Deum tentant: quapropter, qui Religionis aditu prohibent eos, quibus hæ deſunt qualitates, quin his irrogent injuriam, e contra de illis perquam optime merentur; vetant quippe, ne ab illis contrahatur obligatio, cujus exitus iiſdem felix eſſe non poſſet. Denique quodcumque faciendum aggredimur, quodcumque vitæ genus amplectimur, ſemper juxta Evangelium ſumptus computandi ſunt, videlicet inquirendum, quas vires, & voluntatem nobis dederit Deus, ut inde feramus judicium, utrum temeritati nobis vertendum ſit, hoc cœpiſſe conſilii. *Tractatus de modis tentandi Deum.*

Si adhuc tibi integrum eſt vitæ ſtatum eligere, nihil prætermitte eorum, quæ neceſſaria ſunt ad cognoſcendum illum, in quo te occupari exigit providentia. Nulla umquam tibi erit electio facienda, quæ plus prudentiæ, ſapientiæ, conſiliorum, & circumſpectionis requirat. Ita etiam in hujus mundi vita nulla majoris momenti occaſio eſt, & in qua plura ſit proſpicienda. Non eſt, cur iſtic carnem, aut ſanguinem conſulas, ſed Dei voluntatem, quæ tibi pro duce in hoc eſſe debet; ab eo tantum haurienda ſunt lumina, quibus in re tali indiges, in qua plurima ſunt præcavenda. Patres plerumque ſuum conſulunt affectum, commodum, amorem circa filiorum ſuorum ſtatum, quin ſolliciti ſint de ſalute, æternoque illorum bono, cum quo ſtatus ab illis amplectendus arctiſſimis vinculis jungitur. Elige ſapientem, doctum, prudentemque directorem, cui libere valeas ſecretiores ſenſus tuos, propenſiones affectus, ingenium, talenta, bonas malaſque tuas qualitates aperias. Quotidie plures effunde preces, Deum rogaturus, ut tibi ſuam ſanctam voluntatem oſtendat. Frequenter ſanctis te refice ſacramentis, ſanctiſſimam Virginem invoca in re tam gravi, ac potiſſimum te ipſum arceſſe in conſilium, & vide, quænam ſint vires tuæ, ut digne ſtatum

ſtatum illum repleas, quem es amplexurus. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat.*

Antequam ſtatum eligas cogitandum, eſt utrum in mundo permanere te tua ſuadeat mens.

Dicere poſſumus, prædeſtinationem magnum habere nexum cum ſtatu, ad quem nos evocat Deus. Hic gratiarum nexus, hæc admirabilis œconomia providentiæ ad ſalutem, magnam habent cum vocatione rationem. Oportet nos eſſe in eo vitæ ſtatu, ad quem Deus nos deſtinavit. Alium ingredi, eſt manifeſtum pereundi diſcrimen adire. Status eligendus eſt, quibus precibus, conſiderationibus, animadverſionibus opus eſt, ut bene eligas! Satis fortaſſe hæc præcaventur omnia, cum de religioſo ſtatu, licet omnium ſanctiſſimo, & ad ſalutem operandam facillimo ſuſcipiendo ſermo eſt; at itane uſuvenit, cum in mundo ſtatus aliquis eſt eligendus? Nihilominus fatentur omnes mundum eſſe mare naufragiis infame, ubi omnia ſunt ſalutis noſtræ ſcopulis, ſyrtibuſque referta. Statuit ne virgo aliqua ingredi aſceterium? bone Deus! quot obices ſuperandi ſunt ex parte parentum, affinium, conſanguineorum, & quorum etiam nulla cognationis vel affinitatis ratio intercedit! Videtur intereſſe omnium illam a propoſito deterrere. Quantum requiritur temporis, ut ſerius illa cogitet? Qua verborum facundia exhibentur illi difficultates, auſteritates, faſtidia ſanctiſſimæ hujus vocationis? Tantum ne laboratur, cum agitur, ut aliqua nubat, & in mundo permaneat? Nemini in mentem venit ex ea quærere, utrum ad id ſatis animum adverterit. Subiraſcerentur fortaſſe amici, & conſanguinei, ſi audirent ab illa adhiberi in re tanti periculi conſilium. Intelligere facti hujus abnormitatem, ac injuſtitiam. Status ne vobis eligendus eſt? Ad id incumbite; tunc vero præſertim ſi tua ſtudia, & voluntas ſuadent, ut mundum ſequaris, vel etiam, ut Eccleſiaſticum ſtatum amplectaris, ubi plurima periculi nequaquam leviora naniſcuntur. *P. Croiſet in Spirit. Exercit.*

Si quid eſt, quod nos inducere valeat in ſpem gratiarum, ut in ſuſcepto munere omnia benevertant; hoc nonniſi vocatio eſſe poteſt. Deo me ad ſtatum aliquem arceſſente, poſſum equidem ab ipſius bonitate expectare ſubſidia, quorum indigeo, ut omnia mihi accidant e ſententia. Si minus ea mihi debet, debet ſibi, ſuæque providentiæ. Sed ſi per meram ambitionem, ſi propter cupiditatem, ſi vanitatis cauſa, illud appeto munus, non ſolum nullum mihi jus eſt ab illo auxilium hoc expectandi; quemadmodum nondum cauſa mihi eſt credendi, illum id mihi largiri velle. Nam, ut docet S. Thomas, a Deo *unicuique datur gratia, ſecundum id ad quod eligitur.* Verum ſincere fateamur, ſtatum aliquem ingreſſuri homines minorem ne conſiliorum, & vocationis Dei rationem habuerunt, quam hodie ipſi habeamus? *P. Aurelianenſis Sermone de Annunciatione.*

Cum ſtatum ſumus amplexi, nobis conandum eſt, ut illius officia obeamus.

Antequam vitæ ſtatum eligamus, orandum eſt, conſulendus eſt Dominus, ut cognoſcamus, quo ille nos vocet; ſed impliciti jam ſumus in aliquo ſtatu, deliberandum ultra non eſt, neque dubitandum utrum melius fuiſſet aliter elegiſſe. Importunæ hujuſmodi dubitationes tentationes ſunt; nihil deinde attendendum eſt, niſi ut accuratiſſime obeas ea vitæ generis a te ſuſcepti munera. Utitur dæmon calidus, verſutuſque tentator inquietis hiſce ægritudinibus, ut nos fallat. Quæ enim illuſio eſt in jugi ſtatus ſui perplexitate verſari, ejuſque negligere officia! Perquam diligenter illa obi, & ſummam nanciſceris in vitæ electione tranquillitatem. Sed licet vocatio tua æque palam connotata eſſet, ac olim Saul, æque ſancta ac illa Judæ; quid tibi prodeſt optimam habere cauſam, ſi perperam illam adimples? Nihil melius probat nos eſſe ea in conditione, quam vult Deus, quam cura placendi eidem. Illi diſplicere non eſt argumentum malæ vocationis noſtræ, ſed malæ noſtræ voluntatis. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

In mundo implicitus es? vitam age Chriſtianam, tibi cave ab inimico illic regnante & contra multitudinem laqueorum, quos illic nectit; vive juxta Evangelica inſtituta, ibique ſalutem tuam operaberis. Es in ſtatu Eccleſiaſtico? Ædifica proximum ea morum puritate, quæ nulla umquam calumnia poſſit labefactari, non ſine religionis ſpiritu ubi ſacra officia illius miniſterii, quod reliquis ſanctitate præcellit, & eccleſiam ædificans ſalutem tuam certam facies. Religioni cuipiam dediſti nomen? vive ſecundum perfectionem ſtatus tui; modeſtia, ſpiritus ſolitudinis, & ſeceſſus animent omnes Religioſi actiones; devotio palam annuntiet ſanctitatem vitæ illius, atque tunc vives, ut Religioſum decet, & morieris, ut decet ſanctum. At jugum, quod tibimet impoſuiſti, videtur grave, & non ferendum: non pondus juge efficit, ut cedas, ſed ignavia, & infirmitas illud geſtantis; alterum jugum tibi levius non eſſet. Sed eſto in ſtatus electione temet fefelleris; laborem, quem ibi nanciſceris, aſſume in ſpiritu pœnitentiæ, atque tunc tuus vitæ ſtatus erit tibi fons gratiarum atque ſalutis. *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Divinæ parere debemus voluntati pro eo vitæ ſtatu ad quem nos vocare illi placet.

Creationis beneficio nos ex nihilo eduxit Deus. Hic titulus eidem confert in nos ſupremum proprietatis dominium ita abſolutum, ut ipſi de nobis metipſis diſponere nequeamus, niſi per explicitum divinæ ſuæ voluntatis imperium. Ab illo pendemus per eſſentiam, quam omnino ab illo recepimus: itaque tenemur illam, quanta eſt, in illius ſervitium impendere, non ſicuti nobis placere poſſet, ſed juxta Dei beneplacitum, qui cum ſit rerum omnium creator, eſt etiam abſolutus Dominus univerſorum. Tuum igitur eſt, Domine, nos in loco ſtatuere, tuum eſt nobis indigitare locum a nobis ſervandum, Temeritas eſſet ſuppliciis conſtringenda aliter operari; etenim noſmet injuſſu tuo collocare, hoc ſane eſſet lædere ſupremum jus tuum. Ne in tantum hoc malum incidamus, noſmet ad te convertimus humillime, & obſequentiſſime præſtolantes adorabilis, ſanctæque tuæ voluntatis imperia. Deus eſt Pater noſter per gratiam divinæ adoptionis; nos vero ſumus ex numero filiorum ejus in ſancta domo ipſius. Pater de omnibus ad arbitrium ſuum domi ſuæ debet diſponere, Dei Filius docet plures eſſe manſiones in domo Patris ſui: hæ manſiones diverſæ nobis innuunt diverſas vocationes, quas filii ſui ad illius nutum debent accipere, ac diverſas gratias, quæ in quolibet vitæ ſtatu ad illum exercendum accipiuntur. Verum, cum recipi nequeant gratiæ diverſæ, quæ ibi communicantur, niſi per hunc paternæ bonitatis rivulum, ita nulla recipienda vocatio eſt niſi ad nutum ejus Sapientiæ. Cum enim Patris noſtri cœleſtis domus ſit domus ordinis, omnia ibi ordinata eſſe debent ſecundum beneplacitum illius; & nemo collocatus eſſe debet niſi in ordine, quem cuique deſtinat Deus; ne ſi quis ſibi locum delegerit, jubeatur, ut homo ille Evangelicus inferius deſcendere, ac tandem ne videat ſibi locum deeſſe, ubi venerit Pater Familias omnia in domo ſua in ordinem diſtributurus. *Ex libro cui titulus, Modus recitandi orationem Dominicam.*

Quomodo Deus ſuam nobis voluntatem aperiat.

Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra; ut obedientia mea talis ſit, qualis eſſe debet; videlicet imitatio obedientiæ cœleſtis, & jugis præparatio ad beatam vitam aſſidua cura audiendi te. Tu ad nos loqueris, & per gratiam tuam operaris in nobis ad nos loqueris voce inſpirationum tuarum; operaris per gratiam tuam, cum illi fideliter cooperamur. Loqueris multifariam, ut tua de nobis aperias conſilia. Hoc autem aliquando immediate per te ipſum; ita enim feciſti cum Abraham, quando illi dixiſti: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi;* Geneſ. 20. itemque cum Apoſtolis, dicens illis: *Venite, & faciam vos piſcatores hominum.* Matth. Hoc ipſo modo hodiernis quoque temporibus uteris adeo validis afflatibus, qui adeo palam oſtendunt, ſe tuos eſſe, ut nullus dubitandi locus ſuperſit. Nonnumquam etiam per humanum ratiocinium Deus nobis ſuam voluntatem ſignificat, ſeu per hominum interpretationem, & miniſterium, cum illorum verba nos illuminant, vel exempla nos movent, & ad vitæ ſtatum ingrediendum impellunt. Ita lectio quædam ex vita S. Antonii duos cujuſdam Imperatoris aulicos convertit, eorumque exemplum maturavit S. Auguſtini converſionem, & hæc longe plurimas peperit. Tertius ſupereſt modus, quo Deus ſuam prodit voluntatem. Utitur ærumnis, calamitatibus, morbis, ut nos tamquam tempeſtatis impetu in ſalutis æternæ portum projiciat, redigens nos ad ſtatus quoſdam, in quibus quadam urgemur neceſſitate ad eum confugiendi. Eo ardentius cœli bona cupimus, quo magis videmus laborum noſtrorum inutilitatem ad terrena acquirenda. Quocumque pacto placeat tibi vocare me, Domine, voti compos ero, modo fiat voluntas tua, & ego ſemper amabilia tua de me ſequar conſilia. *Fiat voluntas tua. Idem.*

Cum in primum providentiæ ordinem non ingredimur, in eo, quod ad vitæ noſtræ pertinet ſtatum, in alium incidimus ordinem longiſſime a priori ſepoſitum. Primus eſt ordo bonitatis; in quem cum ingredimur, in terris vitam ducimus, quæ aliquo modo eſt initium vitæ, quæ in cælo ducitur. Omnia plerumque ibi ſunt utilia, vita læta eſt, nihilque ſaluti noſtræ timendum eſt. Alter autem ordo, cum ordo ſit juſtitiæ, opus eſt, ut qui ſeſe in illum conjecerunt parum Chriſtiana electione, quam illi res, ambitio, aut libido ſuaſerunt, opus eſt, inquam, ut hujuſmodi mor-

mortales puniantur, & per pœnitentiam in viam ſalutis reducantur. Ex hoc fonte plerumque procedunt turbæ, adverſitates, afflictiones, extraordinariæ tentationes, infortunia, quæ omnibus fere hominibus accidunt: quippe omnes fere cæce iis ſeſe implicant ſtatibus, qui primis Dei conſiliis de illorum vocatione adverſantur. Præſerva nos Domine ab hac temeraria electione, nec ſinas, nos incidere in hanc miſeriarum, ac tentationum abyſſum. *Idem*.

Una reprobationis cauſa eſt ſtatum amplecti Dei de nobis conſilio contrarium.

Principium damnationis plerorumque hominum, mea quidem ſententia, ut plurimum non aliud eſt, quam prava ſtatuum, quos aggredimur, electio. Nam ſicuti per prima conſilia ſua Deus omnes homines ſalvos facere intendit, ex ſe, & propria voluntate nolens aliquem perire: ita nullus dubito, quominus in primo ejuſdem conceptu rerum omnium ordo, ac diſtributio tenderet ad omnium ſalutem. Verum omnes fere homines vel omnino non ingrediuntur, vel non uti opus eſt ingrediuntur in hunc primum ordinem, & hoc pacto temere perfringunt primum gratiarum nexum, quas illis deſtinavit Deus, eos ad beatam æternitatem perducturus; evertunt, ut ita dicam, ſalutis ſuæ ædificium, omnes Dei vias ſubvertentes. Ille, quem aris deſtinaverat Deus, temere ſeſe mundo implicat, ille, quem cœlibem optabat, uxorem ducit. Quem caſtris, ac militiæ aſſignaverat, magiſtratum exercet. Parentes nonnumquam ipſi faciunt filiorum ſuorum vocationem, quin Dei conſulant voluntatem, quin aliud quidpiam conſulant, quam ambitionem, familiæque ſuæ decora, & utilitatem. Filii quoque ſuis tantum auſcultat cupiditatibus, cum agitur de ſtatu amplectendo. Omnes hac in re ſine conſilio, & prudentia operantur, quin Dei voluntatem exquirant. Mirum ne igitur eſſe debet, ſi in omnibus conditionibus nihil niſi perturbatio, flagitia peccata, peccatoreſque inveniuntur viam perditionis percurrentes. Largire nobis Domine gratiam, ut electionem faciamus perfecte primis conſiliis tuis de nobis conformem, & pro tempore, & pro æternitate *Idem*.

Quoniam Deus, quatenus Creator ſummum habet proprietatis dominium in omnia creata, & abſolutus eſt univerſorum Dominus, in graviſſimo errore, & qui terribilis eſſe poteſt momenti ad ſalutem, verſatur, qui illo inconſulto aliquem in mundo locum, vitæque ſtatum vindicat ſibi. Ex conſcientiæ ſtimulis, ex lapſum multitudine, facile eſt cognoſcere, non eſſe nos in ſtatu, quem Divina Providentia ſingulis noſtrum conſtituit. Heu? Si una tantum via eſſe in ordine Providentiæ tuæ, ſi una tibi eſſet benedictio, quam largiri valeres, de me in nullam reditus ſpem actum eſſet: ſed ſi nequeo amplius ſervare me in ordine bonitatis tuæ, quoniam ab eo inconſulto receſſi poſſunt adhuc proſpicere ſaluti meæ, memet conformans regulis ordinis alterius, hoc eſt, me ſubjiciens in omnibus ærumnis, & adverſis, quæ tibi in me placebit immittere ea in conditione, quam temere amplexus ſum. Millies beatus, eo quod hæc mihi reliqua ſpes eſt, & quod uti poſſum ſuppliciis miſeratricis juſtitiæ tuæ, ut revertar in viam ſalutis, a qua turpiſſimæ per meam temeritatem receſſeram. *Idem*.

Quid nobis reparandum ſit pœnitentiæ viam ingredientibus.

Cum miſeri ſumus eo quod non ſumus ingreſſi ſtatum, ad quem nos Deus appellabat, malum hoc reparandam eſt nobis, noſmet in conditione noſtra per pœnitentiam reparando. Hæc prima ordines perturbatio efficit, ut in ſtatu noſtro tot contradictiones, cruces, atque tribulationes inveniamus. Nulla nobis ſuppetit cauſa noſmet conquerendi de ſeveritate alterius hujus ordinis divinæ Providentiæ quia ſine illius facultate noſmet obtrudere in alium ſtatum volumus, & hi rigores ad noſtram ſalutem dumtaxat adhibentur. Per hos S. Auguſtinus ſe ipſum ſanctificavit: de illis loquitur Deo in ſpiritu animi grati; & nos quoque ſimili ratione loqui debemus. Heu! Domine exclamat ille, per juſtitiam, quæ in ſpeciem quidem dura eſt, ſed reipſa miſericors, effundebas in ea omnia, quæ accidebant mihi, amaritudinem; ſpinis ſeminali via omnes erroris mei, ac tandem in pœnitentiæ viam reduxiſti me, ut me ſalvum faceres, & ſanctificares. Cum ergo & nos, ut Sanctus iſte Doctor, inveniamur in ordinis perturbatione, ſi amaritudinem dumtaxat, pœnaſque nanciſcimur, ejus exemplo confirmari debemus, & credere, juſtam, atque miſericordem Dei noſtri Providentiam operari noſtram juſtificationem, nobis præbendo occaſionem agendi pœnitentiam, ut de ſtatu erroris emergamus, & noſtræ ſanctificationi cooperemur. *Liber qui inſcribitur modus recitandi orationem Dominicam*.

Animæ, quæ per imprudentem electionem receſſerunt ab ordine bonitatis Dei, omni ſeſe redigere debet ad patienter ſequendum ordinem juſtitiæ ſuæ, & hæc ſola via eſt, quæ illas in ſtatu ſuo ſalvas facere poteſt. Quod ſi per impatientiam, vel impœnitentiæ ſpiritum egrediuntur etiam ex ſecundo divinæ Providentiæ ordine, omnino ſeſe invenient extra viam ſalutis, & viventes ſine regula, & ordine de tenebris procedent in tenebras, & errore in errorem, de præcipiti in præceps, & indeſinenter crimina criminibus accumulantes, tandem cumulum adjiciet iræ theſauro, qui aperietur tandem pro illis ultionum die. Ad quem enim tunc confugiant, ut conſolatione aliqua reficiantur? Ad Deum? Id ne audebunt, cum ſibi facultate vindicaverint egrediendi de viriis, & bonitatis illius, & miſericordis ejuſdem juſtitiæ? Confugient ne ad creaturas? Inde omnes tribulationes, & mala procedunt. Quærent ne in ſemetipſis, ſi quid ipſos conſolatione poſſit afficere? Hoc numquam invenient. E contra vero ibi invenientes peccatum, & malum, non niſi timoris, atque tumultus cauſas poterunt invenire. Ita enim præcepiſti, Domine, ut omnis ſpiritus, qui per nequitiam omnino prætergreditur ordinem a te nobis conſtitutum, ipſe ſibi ſit injuſtæ ſuæ electionis vindex. Pro ea ſuavitate, quam ſibi promittebat aliquis cum hac perſona in hoc ſtatu, non niſi ægritudinum & offenſionum occaſiones, peccatorum, ac tentationum nanciſcitur. *Idem*.

Utilitates eorum, qui religioſum ſtatum amplectuntur.

Quanta eſt gratia, quam Deus confert homini, quem ad religioſum evocat ſtatum! Quam pretioſa illi eſſe debet? qua cura, & fidelitate illi debet reſpondere! Ex omnibus ſtatibus, quos amplecti poſſumus, nullus aptus non eſt ad cognoſcendum, amandumque Deum, eique ſerviendum, & qui fideliſſimum hunc ſtatum amplectuntur, ii ſunt, quos electum populum ſuum vocat. In hoc populo nomen illius magnum eſt: non niſi de illo cogitatur, non niſi ille amatur, uni illi ſervitur. Ibi memoria habetur illius ſine oblivione, amor ſine diviſione, ſervitus ſine intermiſſione. Anima ſexcentis aliis mundi curis occupata, mens ſexcentis aliis cogitationibus diſtracta, non niſi tanto rato converti poteſt ad Deum: ſed quanta utilitas eſt religioſi, qui a mundo, a tumulto, ab impedimentis, & corruptione mundi ſepoſitas per integram ſeceſſionem, expeditus a divitiarum cura per votum paupertatis, propter quod omnia bonorum genera dereliquit; per votum caſtitatis, propter quod omnes carnis voluptates abdicavit; per votum obedientiæ, quo expeditus fuit cura ſui ipſius, qua inquam utilitate ille perfruitur? Qui Deo tantum occupatus eſt, qui in illum intendit dumtaxat, qui non aliam habet curam, quam ſanctas illius voluntates adimplendi? *Modus recitandi orationem Dominicam*.

In quo conſiſtat ſtatus hujus felicitas.

Hæc una eſt Religioſi ſtatus prærogativa, ſcilicet inſeparabilis quædam neceſſitas de Deo tantum cogitandi, neque aliam habere curam, quam illi placendi. Felix neceſſitas! quæ nobis aufert omnium fallacium bonorum cogitationem. Omnia in mundo efficiunt, ut ideam, & cogitationem Dei abjiciamus: omnia in religionis ſtatu illius memoriam, & cogitationem revocant. Domus, quæ habitatur, proprie eſt domus Dei; veſtis, qua induimur, ſancta eſt; illi, cum quibus verſamur. Deo dicati ſunt, miniſteria, quæ ibi exercentur, per ſe ſancta ſunt, vel per obedientiam ſanctificantur. Nihil non Sanctum occurrit; ſancta exempla, libri ſancti, tabulæ ſancta Sanctorum geſta referentes, divinorumque myſteriorum imagines. Nihil non ſanctum ibi fit: Meditationes frequentes, ferventes adhortationes, colloquia ſancta, preces vocales, orationes mentales, Dei laudes, ſancta cantica ſæpius in diem iterata. Cæterum interiora lumina ibi copioſiora ſunt, atque defæcatiora quam in ſæculo; licet enim Deus ubique ſua effundat lumina, quia vult ab omnibus cognoſci; tamen certum eſt ipſum illa uberius effundere in eos, qui penitus ſeſe illius cultui devoverunt, quam ſuper eos, qui in ſæculo ſunt, & qui minus pro eodem fecerunt. Lumina, quæ te jubente renident ſuper populum, quem tibi Domine elegiſti, & quem a reliquis hominibus ſecreviſti, & cognitiones, quas illi præbes, æternarum veritatum ſunt admirabiles. *Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis*. Pſalm. 75. *Ibidem*.

Qui ſæcularibus curis impeditus eſt, ſeſe tradit ſexcentis objectis promiſcue, quibus cor ſuum dividitur: *Sollicitus eſt, quæ ſunt mundi, & diviſus eſt*. S. Paulus inquit. Sed qui mundum dereliquit, qui expeditus eſt, ſuos impendit affectus iis tantum rebus, quæ ad Dominum ſpectant, eique placent. Ex quo nuntium miſit honoribus, opibus, voluptatibus per ea vota, quæ nuncupavit, quid præter Deum amare

poſſet?

poſſet? Quid appetere poſſet partem illius cordis, quod eo uſque per amorem ſuum proceſſit? Quemadmodum mens eſſe non poteſt, quin cogitet, & cor quin amet; quid reliquum eſt animæ religioſæ, quæ omnium mundanarum rerum amorem objecit, quam Deum amare, eumque unice, ac ſine diviſione diligere? Deus etiam inveniens animam vacuam, omnibuſque rebus creatis expeditam quid agit? illuc ingreditur, ejuſque omnimodam adit poſſeſſionem. In corde ignem ſancti ſui amoris accendit; occupat memoriam, imagionationem, ſenſus, omneſque internas, externaſque facultates. In ea ſuum regnum conſtituit; & omnes beatæ hujus animæ occupationes non ſunt amplius quam ſervire Deo, & illum amare. *Modus recitandi Orationem Dominicam*.

Omnia Religioſi opera coram Deo fiunt.

Quam jucundus eſt ſtatus Religioſi a mundo ſejuncti, & Deo conſecrati. Omnis illius occupatio eſt facere voluntatem Dei. Si operatur, ſi laborat, ſi a laboribus ceſſat, ſi loquitur, ſi tacet, ſi variis deſtinetur curis, ſi duobus in locis diverſis moratur; ſi bibit, ſi comedit, ſi vigilat, ſi dormit: id ſemper cum ordine præſtat, & ſecundum regulas obedientiæ religioſæ, quam profeſſus eſt, & quam illis adhibet, qui Dei locum obtinent. Ita jugiter, ac ſine remiſſione dies, noctesque Dei voluntatem adimplet, ac ſervitus, quam illi præſtat, numquam, neque ſomno ipſo intermittitur. Si ad ſublimen hunc perfectionis gradum me vocas, Domine, lubens, & alacer aſſentior iis, quæ petis a me. Felicem hunc ſtatum omnibus mundi opibus præfero, omnique humanæ ſpei antehabeo. Largire mihi tantum hanc gratiam, Deus, ut quoad vita vivam in terris non alia ſit mihi occupatio, quam in rebus omnibus facere voluntatem tuam. *Modus recitandi &c.*

Eos inter qui gratiæ ſuæ vocationis reſpondent, ac Religioſum ſtatum amplectuntur, quotuſquiſque hic invenitur? Heu! nimis multi ſunt, qui ſatis eſſe rati, ſe illum amplexos fuiſſe, non admodum laborant ejuſdem ſpiritum accipere, ejuſque munera adimplere, qui ſibi perſuadent poſt generoſum facinus, quod edidere mundum relinquentes, nihil ſibi ultra faciendum eſſe, ſalutemque ſuam eſſe in tuto, quoniam in ſtatu ſancto ſunt, & vivunt cum Sanctus. Hæc ſententia æque fallax eſt, & periculoſa, hæc illos facile poteſt perdere, & in infernum dejicere per viam Paradiſi. Si enim gratia voationis ad Religionis ſtatum magnum bonum eſt, quod malum conſequitur abuſum tanti boni! Sed cur tot inveniuntur, qui illo abutuntur? Quia nimis freti ſanctitate ſtatus illius; quem amplexi ſunt ingredientes in Clauſtra, ubi non ſatis laborant repleturi vocationem ſuam ea vita, quæ ſint illi conformis, & ubi fortaſſe, & nonniſi nimis verum eſt, ipſi domorum religioſarum parietes, ſi ipſi taceremus, clamarent, ſæpius dedecorant ſanctum illud, quod geſtant indumentum in flagitiis, quorum plurimos ex ſæculo puderet; quod recentem auctorem quemdam impulit, ut diceret, nequiſſimum eorum, qui in mundo ſunt, proculdubio eſſe Religioſorum omnium procaciſſimum; quod non abludit a Philoſophi ſententia, cum ait; *Corruptio optime peſſima*. *Modus recitandi &c.*

Superbi quodcumque ſtatuum genus ingrediuntur quin a Deo vocentur.

Superbis hominibus uſitatiſſimum eſt temere ſibi graviſſimas provincias depoſcere, prætexentes, ſe iis magnas exercituros virtutes, & allaturos pro omni diſpoſitione vanum deſiderium oſtentandi meritum, quod ſibi ineſſe putant. Non ponderant talenta ſua, non cogitant officia, quæ contrahunt, non excutiunt ſe ſe, utrum pares ſint oneri ferendo; non advertunt animum ad ea, quæ ſunt conſecutura. Non ſinit ambitio eos ſuam perpendere infirmitatem. Nonnumquam ambitioni huic ſecreta quædam ſeſe immiſcet invidia. Homines vi, & lumine carentes, ſe illis exæquare contendunt, qui majori vi & lumine pollent. Conjiciantur oculi in varios vitæ ſtatus; quæ tunc perturbatio, qui tumultus videbitur; idque quia nemo illum vitæ ſtatum ingreditur, ad quem illum divina providentia evocabat. Eligit ne ſibi aliquis occupationes talentis ſuis appoſitas, ac viribus congruas? Nullo modo, immo videmur prorſus oppoſitas adfectare. Hic dirigit, qui dirigendus eſſet. Ille imperat, cui eſſet obtemperandum. Hic docet, qui docendus eſſet; ille in publicum prodit ad mores aliorum perſtringendos, cui ſui melius eſſent corrigendi. Alius denique ſeſe omnibus immiſcet, qui nulli ferme rei aptus eſt. *Sermo ſecundus Academiæ anni* 1695.

De eorum temeritate, qui non vocari ſtatum aliquem ingrediuntur.

Ubi ſemel inordinata ambitionis cupiditas dominatur in nobis, contemnitur, quodcumque ratio, & conſcientia, & amici validius nobis afferre poſſunt adverſum deſiderium ejus provinciæ, quam ſcimus viribus noſtris non congruere, & ambitioſus neſcit quibuſcumque objectionibus reſpondere, quam illud reddere rebellis Angeli dictum: *Aſcendam*. Sed quomodo eum ſibi depoſcere valeat honorem, qui ingenium illius excedit, & ejus viribus præſtat? Quomodo eam obire provinciam, quam numquam ſumus obituri? Quomodo eos nos pondere onerare, quod ferre humeri noſtri recuſant? Honorem cupio, dicet aliquis inveniam, qui ferat onus, ubi cum ipſo fructus partiri velim. *Aſcendam*. Sed in loco omnium oculis, cenſuræque patenti, quomodo conciliari poſſunt officia ejus dignitatis, quæ puram, ac irreprehenſibilem vitam poſcunt cum eo naturaliſtudio, quo rapimur ad voluptatem? Pro virili parte non ſecus ac tot alii exteriorem ſpeciem ſervabimus; & niſi ita felices erimus, ut populi ora claudamus, latis erimus fortes, ut illos exclamare ſinamus. *Aſcendam*. Sed ſcandalum, quod parituri ſumus, in nullo diſcrimine habemus? Obmurmurationes, quas excitaturi ſumus; contemptus, quem nobiſmet conflabimus; riſus, & joci, quos in caput noſtrum convertemus? Quamprimum futuri ſumus opprobrium totius civitatis argumentum omnium ſermonum? tutius ſane in mediocritate ſecuti fuiſſemus noſtras cupiditates in ſtatus mediocritate: & minus nefarie in caligine deſideriis noſtris paruiſſemus. Ad hæc non aliud reſpondetur, niſi quod aſcendere volumus. *Aſcendam*. Eſto; dummodo ad ſupplenda, quæ vocationi, atque ingenio noſtro deſunt, ſaltem labore adniteremur noſmet efficere pares illis honoribus, ad quos contendimus, & ad quos vanitas noſtra nos adducit, labore, inquam, jugi, & conſtanti; acri ſtudio ad ſtatus illius munera cognoſcenda; pietate probata, & probitate, quæ nobis reſurgendi gratias promereatur: temeritas noſtra aliquem ſaltem haberet locum, ex quo poſſet excuſari. Sed quas vulgo animi adfectiones afferimus? inordinatam adoleſcentiam, cupiditates æſtuantes, habitus incorrigibiles. Ita affecti ad magiſtratus, & judicum ſubſellia aſcendimus, ubi de hominum vita judicium ferendum eſt; ita per ſummam impudentiam religioſum ſtatum amplectimur. Mirum ne ergo eſſe debet, ſi in omnibus mundi ſtatibus tot ſcandala paſſim occurrunt. *P. Aurelianenſis, Sermone de Annuntiatione*.